

ANTONIUS JOSEPH DE MELLO ACADEMI-  
*cus Occultus Fratrem suum Didacum Joseph de Mello,*  
*ut Assertiones Physicas Josepho Fidelissimo Lusitaniæ Regi*  
*consecratas acri animo defendendas suscipiat; hortatur,*  
*stimulat, ac pungit.*

**Q**Uàm benè difficiles artis dissolvere nodos,  
 Scrutarique vias, & rerum pandere causas  
 Audebis, Frater, tanto sub Principe! Nota  
 Hinc tibi deveniet mundi nascentis origo;  
 Quot sint, & quonam volvuntur sidera lapsu,  
 Quæ sit vis astris: extent quod tecta Tonantis;  
 Sint fluida, an solida: horridici cur crine cometæ  
 Ferali rubeant. Lapidés, elementa, colores,  
 Causarumque genus, formas, animalia, plantas,  
 Et species animæ, refluos & gurgitis æstus  
 Haud faciles captu subtili mente tenebis.  
 Deque loco, & vacuo, motu, de tempore, nullo  
 Mens erit in dubio nostri sub numine Regis.  
 Invitant placidi Josephi pectora mores,  
 Ut verum inquirant, & recto tramite pergant.  
 Non tibi adest Princeps tauro metuendus ahenò,  
 Sævus Anaxarchum non qui percussit acutum;  
 Aut homines superis tetras mactavit ad aras;  
 Sed piger in pœnas Princeps, ad præmia velox.  
 Nec quisquam, haud fallor, Lysiis fuit editus oris,  
 Qui vasti Imperii melius data jura teneret.  
 Viribus excellens, clarus pietate, fidelis  
 Astrææ cultor, studiorum laude decorus  
 Plus animis populi, solio quàm regnat avito.  
 Virtutes illi; reliquis fors sceptrà dedere.  
 Magna tuis veniet laus hoc sub Principe verbis,  
 Dente nec audebit Momus lacerare procaci  
 Scripta refulgenti titulo decorata; sed omnes

Latratus cohibens in plausus ora resolvet.  
Hoc duce, Palladio meritas certamine palmas  
Clara tuæ referes victricis præmia frontis;  
Nec dubito auspiciis tantis tua signa coruscent  
Nubila ceu radiis disperdens agmina Phœbus.  
Cernere jam videor clamantes ire cohortes  
Viribus ingenii audaces tua castra petentes;  
Te tamen impavidum doctas spectare catervas  
Aspicio. Princeps animos ad prælia firmat.  
Concurrunt acies: accendunt classica pugnam;  
Mars furit. Infestis certat sententia signis;  
Hostes propulsas animi munimine septus.  
Insurgunt alii, torquent sua tela; retundis  
Cuncta hæc facundo præstantis robore mentis.  
Turba stupens pueri pendet dicentis ab ore.  
Vicisti, Frater; festo tibi murmure cuncti  
Complaudunt, gratesque Deo pro munere solvunt.  
Aspice quàm virides gaudens Tritonia lauros  
Carpat, ut excelsi victoris tempora cingat  
Fronde triumphali: fertis Parnassia rupes  
Jam caret; & foliis viduantur culmina Pindi.  
Nec fatis; innumeras poscunt tua dicta coronas.  
Ausonias Aquilas insomnis livor haberet,  
Si tua nunc possent detracta ex hoste trophæa  
Cernere; nam cunctos superat tua pompa triumphos.  
Corporis utque caput partes supereminet omnes,  
Præstat & humanos excelsus spiritus artus,  
Inclyta sic menti succumbunt prælia dextræ.  
Felix, qui miles tanto sub Rege triumphat,  
Felix, qui studiis tantum formavit alumnum.  
Fortunata domus, quæ tali prole potitur.  
Vive diu, Frater, gentis nova gloria Lusæ,  
Stirpis honos, sæcli decus, unica cura Minervæ.  
Ad freta dum tulerint ardentes plaustra jugales  
Clara tui insignis dicetur fama triumpho,  
Ingeniique tui meritò referentur honores.